



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Voti dispensatio seu irritatio cui competat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

558 *Voti dispensat.*

limites intentionis personæ vouentis, hoc est quia præcisè ad illud tantum obligat, ad quod vouens intendit se obligare, & non ad illud. Sed quâdo vouentis intentio nihil apposuit limitationis, sed votum fecit simpliciter oportet casus occurrentes secundum sacros canones & veritatis doctrinam piè interpretari. Vnde qui vouit triduo ieiunare, aut aliquam elemosynam dare absque præfixo tempore, tenetur adimplere illo tempore quo ipsum nō remordeat conscientia quòd fuerit in mora: quoniam quam diu ei videtur quòd nō sit in mora, interpretandū est quòd non sit elapsum tempus intentum ab ipso vouente. Hinc enim intentio vouentis discerni potest.

Caue autem ne fallaris, putans in variis casibus & euentibus occurrentibus votum non ligare: quia persona quando vouit, si hæc præuidisset, non fecisset votum. Falsa est hæc imaginatio & destructiua omnium humanorum cōtractuum. Multi nanque coniugati non obligarentur ad coniugium: quia si præuidissent quæ euenerunt, non contraxissent tale matrimonium. Et similiter multi professi non tenerentur ad religionem: quia si tunc quæ pōst occurrent, cogitassent, non fecissent professionis votum. Et sic de aliis. Caue ergo ne fallaris: sed de efficacia intentionis vouentis sentit, vt antè dictum est.

Voti dispensatio seu irritatio cui competat.

EX parte demum dispensationis, commutationis, irritationisquæ, vota quandoque oportet confessorem iudicare.

Vbi scito quòd quia irritare votum, pertinet non ad Ecclesiasticam auctoritatem vniuersaliter, sed directè spectat ad potestatem dominatiuam seu quasi dominatiuam rei votiuæ, ideo ad irritandum votum subditi, sola potestas dominatiua cum voluntate irritandi

ritandi sufficit: ita quod persona subdita non est rea
 fracti voti, si is qui habet dominium super re voto
 promissa non vult votum valere. Et ratio est: quia
 quilibet dominus potest uti sua libertate. Et hinc fit,
 ut vxorum, puellarum, seruorum, puerorum, & reli-
 giosorum vota, si iritentur à maritis, parentibus, do-
 minis, Prælatiis, non obligent. Et quod plus est, si se-
 mel maritus aut Dominus audito subditi voto con-
 senterit, & postea reuocauerit licentiam, non peccat
 subditus, non adimplendo votum: sed peccat qui se-
 mel concessit, & postea pro libito reuocat, ut habes ex
 30. cap. Numeri, adiuncta glossa August. & diffuse in
 comment. nostris prædictis. Ad dispensandum verò
 votum, exiguntur duo, auctoritas Ecclesiæ, & causa
 rationabilis. Et de auctoritate quidem Ecclesiæ satis
 patet. De causa verò rationabili quod requiratur,
 supponimus hic: utpote discussam in dictis commen-
 ta quod si prælatus etiam Papa pro libito dispen-
 sare, non esset audiendus: quia non habet potesta-
 tem nisi in ædificationem Ecclesiæ, nec est Domi-
 nus, sed dispensator: quod non potest absque ra-
 tione intelligi.

Rationabilis autem dispensandi causa est honor
 Christi, & utilitas Ecclesiæ: & ut vno verbo dicatur,
 maius bonum quam sit votiua exequutio: quoniam
 si ob maius bonum sit dispensatio, saluatur & maior
 Christi honos, & maior Ecclesiæ vtilitas spiritualis.
 Consuevit autem oriri huiusmodi maioritas boni ex
 aliquo horum trium, hoc est, si exequutio voti reddi-
 ta esset illicita, vel inutilis, vel maioris boni impediti-
 ua. Et propterea oportet magna uti ratione in di-
 pensando vota: quia dispensatio tollit votum &
 quantum ad materiam, & quantum ad vinculum. Ad
 commutandum verò vota licet regulariter exigatur
 auctoritas Ecclesiæ: quando tamen euidenter constat

560 **Voti dispensat.**

in melius & gratius Deo commutari, non est reus
 fracti voti, qui sic cōmutat propriū votum absq; alia
 auctoritate: vt si habens votum terre sanctæ, cōmutet
 in votum religionis: & sic de similibus. Et ratio est
 quia Deo cui promissio facta est, satisficit plenius dan-
 do maius & acceptius ei bonū. Et quia commutatio
 non tollit vinculum voti, sed mutat voti materiam.
 & commutatio de rigore iuris sufficiens videtur si
 fiat, in aliquid æquale, ideo ad commutationem voti
 vltra auctoritatem Ecclesiæ exigitur ad melius æqua-
 litas materia: vt scilicet illud in quod commutatur,
 æquiualet executioni debitæ ex voto: & propterea
 si est votum peregrinationis, habenda est ratio non
 solum temporis, sed expensarum, quas fecisset pere-
 grinando: quoniam hæc omnia cadunt sub voto con-
 comitanter: & sic de similibus. Ex parte autem causæ
 commutandi, vt rationabiliter fiat, quamuis debeat
 aliqua impotentia aut difficultas aut maioritas ma-
 teriæ, aut vtilitas, aut aliquid eiusmodi moueri: si ta-
 men gratiosè condescenditur in persona Dei à com-
 mutante omnis occasio sufficere videtur, ex quo à ge-
 rente vices Christi commutatiuam habente potesta-
 tem acceptatur: cum sola materia cōmutetur, & sem-
 per concurrat petentis commutationem promptior
 voluntas ad exequendum commutatā, quam promis-
 sam. Vt tamen commutās tutior sit, cōmutet semper
 in aliquid melius quantumcunque parum melius.

Memento quoque confessor quod omisio voto-
 rum non purgatur sola pœnitentia, sed vltra pœni-
 tentiam de voti fractione, exigitur executio voto pro-
 missa: quia promissio Deo facta remanet semper vi-
 ua, donec exoluatur, nisi reddita sit impossibilis aut
 illicita, &c. vt antè dictum est. Et propterea qui vo-
 uit aliquid efficere aliquo tempore, & non seruauit
 promissum intra tempus, & tenetur ad pœnitentiam
 de

de fracto voto, & tenetur adimplere promissum quā-
 primum potest. Et hæc intellige, nisi votū fuerit onus
 temporis: quia tunc sufficit sola pœnitentia. Appella-
 tur autem onus temporis, quando votum est factum
 propter illud tempus præcisè: vt si quis vouisset ieiu-
 nare in vigilia sanctæ Mariæ Magdalenz propter ho-
 norem Magdalenz, si non ieiunat in vigilia illa, suffi-
 cit sola pœnitentia, quia ieiunium illud votiuum erat
 onus temporis scilicet vigiliæ illius, sicut ieiunia Ec-
 clesie in vigiliis, sunt onera illorum dierum præcisè.
 Si verò vouisset ieiunare triduo intra mensem præ-
 sentem si non ieiunauit, tenetur & ad pœnitentiam,
 & ad ieiunandum triduo quamprimum potest: quia
 tale ieiunium votiuum non est onus illius temporis,
 sed tempus est appositum vt mēsurā intra quam de-
 bet impleri. Et sic de similibus iudica.

Lucrum ex mutuo an semper sit iniquum.

VSura (hoc est lucrum ex mutuo) iniqua est, quia
 aut bis venditur idem, aut venditur quod non
 est: hoc est, quia aut pecunia bis venditur semel pro-
 forte, & iterum pro lucro: aut vsus pecuniæ qui non
 est præter pecuniam venditur. Et propterea est pec-
 catum mortale: vt pote contra iustitiæ charitatem. Et
 quia usura distinguitur in vsuram mētalem tantum,
 & in vsuram extrinsecam, & vsuræ peccatum ex pro-
 prio genere est peccatum in exteriori opere consi-
 stens, quia est ad alterum iniustitia, ideo tractandum
 est de vtraque, sed peius de vsura exteriori, quæ con-
 sistit in hoc quod est lucrari ex mutuo, interueniente
 pacto explicite vel implicite.

*Lucrum usurarium præsupponit duo ad
 hoc vt licitum reddatur.*

Vbi nota primò quòd ad lucrū usurarium requi-
 runtur & sufficiunt quantum est ex parte ipsius